



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 226. Quid notandum sit circa obligationem restituendi apud mediatos auditores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

Q. 226. Quid notandum sit circa obligationem restituendi apud mediatos Auditores. R. Quæ de his habet *Busenb.*, sunt probabilia, sed videtur probabilius sic esse dicendum: si detractor dixit apud eos, qui meritò timebantur rem ulteriùs propalaturi, tenetur in horum defectu restituere etiam apud mediatos Auditores, quia est causa efficax infamix etiam apud hos causatæ, ideòque etiam tenetur inquirere, an immediati Auditores aliis dixerint. E contra si detraxit apud eos, qui prudenter credebantur non propalaturi longius, si fortè hi aliis dicant, non tenetur restituere, nisi apud hos immediatos, hi autem tenentur apud cæteros, quia hæc ulterior propalatio non est moraliter imputabilis primo detractori, sed malitiæ illorum, ita quoad omnia *Dicast.* supra à n. 168. citans alios, item *Dian. Tambur. Villal. Haun.* t. 2. n. 557. *Petsch.* pag. 518. Quòd si detraxerit, nihil cogitans de hoc, an hi auditores essent ulterius propalaturi necne, *Tamb. & Spor.* in Dec. t. 5. c. 4. n. 103. dicunt non teneri restituere, nisi apud immediatos, quia inculpabiliter non prævidit damnum; & hanc sententiam vocat probabiliozem *Dicast.* n. 276.

Q. 227. Quid addendum sit circa illum, qui infamavit alterum planè inadvertenter & sine culpa. R. §. 1. Talis id postea rescians tenetur ex justitia restituere famam, si possit absque gravi incommodo, ita *Mol.* d. 40. n. 3. *Less.* Lugo d. 15. n. 4. *Haun.* n. 552. *Platel.* n. 775. *Spor.* n. 86. alique communiter contra *Bonæsp.* & alios tacito nomine relatos à *Tamb.* in Dec. l. 9. c. 3. §. 3. n. 8., qui dicunt esse obligationem tantum ex Charitate, quam sententiam *Steph.* t. 4. d. 6. n. 43. dicit esse

Ddd 3                      proba-